



X, 31. a

1. 2. 2.) 3, 636#  
3.) 3, 638.  
4.) 3, 649.





## Contenta.

- 1.) Statuta Sinodalia Metropolitanae ecclesie Magdeburgen.
- 2.) Statuta provincialia ecclesie Magdeburgen ceterarum  
que diversarum provincialium sub eadem existentium.  
Impressum Lipsiae 1489. III, 636.
- 3.) Statuta Sinodalia Episcopatus Misnensis / Lipsiae. 1504. III, 638.
- 4.) Statuta Sinodalia Dioecesis Numburgensis. Impress.  
Lipsiae per Wolfgangum Monacensem 1507. III, 649.








15

# Statuta sinodalia

## metropolitane ecclesie Magde- borgeñ



*Handwritten notes:*  
Nachtrag zu  
H. in 334





Uniuersis et singulis nostre dioecesis presbiteris notum faci-  
mus auribus nostris heu rumore graui innotuisse Quod ple-  
riq; pastores et clerici quāuis corporaliter sinodo sãcta pena-  
rum metu assistant, attenta tamen aure in scandulum mul-  
torum et detrimentū pprie salutis longe absentes reperiūtur  
Ut sic que salutis sunt non audiunt et crassa sua iguorancia  
liberius in peccatis pdurāt Quod eorū facta mores et vita lu-  
ce clarius demonstrant Ut ergo tante ignorancie preueniatur  
Nos Ernestus dei et Apostolice sedis gracia Archiepiscopus  
Magdeburgen Primas Germanie et Halberstedē ecclesia-  
rum Administrator dux Saronie Langranius thuringie et  
Marchio Misie Pastoralis Officio moti dedimus per Offi-  
cialem nostrum Curie Magdeburgen generalē statuta sino-  
dalia imprimere que tamq; speculum ante cuiuslibet sacerdo-  
tis oculos necesse est indies obseruentur et contemplātur, que  
facienda sunt facient et dimittenda dimittent Queq; dem sta-  
tuta per quondam felicitis memorie reuerendum dominiū  
Johannem Archiep̄m Magdeburgen Primatem Germa-  
nie ducem Buarie Comitem Palatinū reni et cetera. sūt re-  
nouata et denuo auctoritate nostra confirmata secūdum teno-  
rem sequentem, de verbo ad verbum annotata





Johannes Dei gracia sancte Magdeburgenſis eccleſie Archiepiſ-  
copus/ Germanie Primas/ Comes palantinus Rheni. et dux  
Bavarie/ Vniuerſis et ſingulis p̄latis diuinorum et eccleſi-  
arū rectoribus/ preſbiteris et clericis quibuſcumq; noſtre cui-  
tatis et dioceſis magd̄ Salutē in domino ſempiternā Vobis  
omnibus et ſingulis/ in virtute ſancte obediencie diſtrictē p̄ci-  
piendo mandamus. Quatenus omnes et ſingulos hereticos/  
eorumq; fautores/ notorios/ ac apoſtotas. qui habitum ſue p̄-  
ſſionis fraudulenter depoſuerunt. tamquā excommunicatos/  
a Jure et homines peſtiferos/ euitetis et a veſtris ſubditis cui-  
tari faciatis Et ſi cōmode poteritis. tales personaliter appre-  
henſos/ nobis/ aut Officiali noſtro/ preſentetis. aut alias cum  
erroribus ſuis/ manifeſtare et denunciare curetis Alioquin vos  
ut et tamquam deſenſores et receptores/ talium perſonarum/  
penas Juris. declarabimus incidiffe/ iuſticia mediante

Item Vobis predictis ſub excommunicationis pena inhibem⁹  
ne quiſquam veſtrum tabernaculis extra caſus/ a iure permiſſos/  
intrare. ac in eis cōuijs intereſſe preſumat. Alioquin contrari-  
um faciens/ ſi ſemel monitus/ a nobis/ Officiali noſtro aut ſuo  
prelato/ non velit deſiſtere/ realiter et cum effectū. excommuni-  
tur/ et alias prout contumacia ſua exegerit. ſeuerius punietur

Item Omnes et ſingulos clericos predictos/ peremptorie re-  
quirimus et monemus/ ut veſtes et tonſurā clericales pro no-  
ticia et congruētia ordinis ſui/ deputatas et conſuetas/ pub-  
lice deſerant/ contrarium facientes/ poſt preſentem monitionē/  
privilegijs clericalibus/ nolumus gaudere/ contra ſuos inua-  
ſores.

Item Diſtrictius prohibemus/ ne quiſquam veſtrum dein-  
ceps/ concubinam ſecum detineat. vel alias a ſe poſitam/ in do-  
mo nutriat aliena. fama publica atteſtante/ q̄ hec ſit concubi-

aii



Bina ipsius Alioquin contrarium faciens iuxta quoddam statutum provinciale felicitis memorie Alberti predecessoris nostri aut decretum consilij Basiliensis contra concubinarios editum Cuius tenor infra sequitur et est talis Albertus Archiepiscopus debita animaduersione punietur.

Item Volumus et sub pena excommunicationis late sententie mandamus ut nemo vestrum quascumque personas matrimonialiter copulare presumat nisi tribus diebus festiuis publicauerit de ambone. quod talis et talis intendunt matrimonialiter copulari tam virum quam virginem siue feminam proprijs eorum nominibus et cognominibus exprimendo et nominando. ut si quis sit qui aliquod impedimentum nouerit inter eos. Vel alias contra dicere velit reuelandi et contradicendi liberam habeat facultatem contrarium faciens tamquam excommunicatus per presentes a christi fidelibus vitare debet. Nisi nostris aut Officialis nostri visis litteris aliter disponentibus.

Item Inhibemus ne quisquam clericorum aut laicorum nostre ciuitatis et diocesis. Calices. Campanas. libros missales vestes sacras. vel quecumque ornamenta pro diuino cultu deputata aut reliquias sanctorum ipsorumque ornamenta deo semel dedicata ecclesijs et altaribus appropriata amplius ad humanos vsus transferre. pignori obligare aut vendere quomodo presumat Absque nostra aut officialis nostri speciali licentia et voluntate Alioquin emptor et mutuans precio quod expenderunt. pro vel super eisdem sint omnino priuati per presentes. quod ad pios vsus volumus conuerti Et venditor ac impignorans excommunicentur donec id in quo dereliquerunt ad arbitrium nostrum seu nostri officialis sufficienter emendauerint.



Insuper prohibemus Ne quisquam res spoliatas seu furti-  
ue subtractas/scienter venditionis pignoris seu quocūq; alio  
titulo/ad se recipere/in vsus suos cōuētere/p̄sumat cōtrariū  
faciens/ultra penā iuris quod precio quod expendit p̄ eis dem/  
priuatus est/ac ad restitutionem simpliciter teneatur. per nos  
aut nr̄m Officialē/exercetur donec et quousq; id duxerit debi-  
te emendandum *ex g. i. e.*

Item Omnes falsarios monetariū/et lr̄arū quarūcumq; ac  
homicidas volūtarios/excōmunicam⁹ dei nomē per presentes.

Insuper prohibemus ne quisquā/vina Cereuisiam Blada vel  
quascūq; res vendibiles/fraudulenter/causa auaricie/miscere/  
presumat. Nec etiā pondera aut mensuras/in eis que sub cer-  
tis pondere et mensura constitutis venduntur/falsificet Ali-  
oquin cōtrariū faciens donec et quousq; satisfecerit leso et se  
emendauerit/excōmunicetur/et alias put iudici suo equū vide-  
bitur/punietur

Itē usurarios publicos et priuatos/presentib⁹ monem⁹ vt  
infra triū dierū spacium/desistant Alioquin ip̄os/put iurta  
statuta canonica/actu excōmunicati et priuati sūt/excōicamus  
Etiam cōmuniōne corporis xp̄i/et sepultura ecclesiastica/priua-  
mus per presentes Si quis vero clericus/aut religiosus cuius-  
cumq; sit religionis aut status/eos dem usurarios a sententia  
excōmunicationis huiusmodi absoluerit/et ad ecclesiasticam se-  
pulturā receperit/publice aut oculte/fruole/cōtra hui⁹dī man-  
datum nr̄m/eūdem pro nūc vt ex tunc/et ecōtra/excōmunicam⁹  
dei nomine in hīs scriptis.

Item districtius Inhibem⁹ ne questores quarūcumq; ecclesia-  
rum/etiā si sint per nos admissi/vires seu cōtinētias suarum  
lr̄arum/excedāt.ā indulgētias excessiuas/idiscrete/pnūtient seu

**a iii**



a votis in quibus non habent potestatem absoluant Alioquin postquam de talibus fuerint infamati prout personaliter capi et nobis a officiali modo puniendi pro excessibus suis puniri Dummodo tamen de fuga sint suspecti alias debent citari arrestari ac excoicari donec et quousque satisfecerint pro excessibus suis ad arbitrium iudicantis

Item volumus ut omnes ligati nunc et in aera sententiarum et penis iuris communis vel nostrorum statutorum prouincialium a Sinodali a nullo sacerdote absoluantur qui nostras litteras super hoc exhibere non poterit speciales Sed ad nos aut vicarium nostrum in spiritualibus remittantur absoluendi Et si quisquam contra huiusmodi nostram ordinationem se de talibus absoluendo pertinaciter intro mittat eundem suspendimus ab ingressu ecclesie prout prius.

Item Contra nouam malicie hominum deceptionis committum prohibemus ne quisquam cessionis actiones transferat in alium potentiorum uel equalium personam fraudulenter et ne similimodo quisquam tales cessiones ad se recipere presumat. Si contrarium fiat Cedens quique marcas et cessionarius etiam quicunque Et iudex talis cause cessionarie decem marcas Magdeburgeni gwarandie nobis dare et soluere pro emenda teneatur nisi tam cedens quam cessionarius coram competenti iudice iurauerit quod in huiusmodi cessione cedens pro rebus cedis nullum fructum expectabit infuturum et quod huiusmodi cessio non per dolum aut fraudem fiat. aut causa ponendi fortiozem et potentiozem aduersarium suo debitori

Item Mandamus et volumus ut infra mensem postquam innotuerit vobis aliquem excessisse contra statuta nostra executori statutorum nostrorum id intimare curetis Et executores eorundem statutorum vicarium nostrum in spiritualibus ac officialem generalem duximus deputandum et deputamus per presentes.



Item Ut per totam Septimanam cōmūnem Et in cōme-  
moratione oīm animarū. in singulis festis beate Marie vir-  
ginis Sanctoꝝ petri et pauli Natiuitatis beati Johannis  
Baptiste sancti Michahelis. Oīm sanctoꝝ. Sancti Mau-  
ritij. sancte Elisabet. Dedicacionis vestrarū ecclesiarū in eccle-  
sijs vestris ecclesiastico suppositis interdicto uel ubi cessatū  
fuerat a solempnjs dinorum auctoritate nostra seu nostro-  
rum Iudicum uel archidiaconorū ob reuerenciam dei et di-  
uini cultus augmētationem excoꝛmunicatis tamen et hīs qui  
causam dederūt interdicto exclusis solempniter possitis cele-  
brare diuina officia uobis misericorditer idulgemus.

Itē volumus et mandamus ut nullus rectorum parochialiu  
ecclesiarum nostre ciuitatis et diocesis se a sua ecclesia absen-  
tare p̄sumat nisi a nobis aut nostro officiali licenciā pecierit  
et obtinuerit specialē cōtrarum faciens eadem et sua ecclesia  
a qua recedit priuabitur iusticia mediante

Item Mandamus vobis omibus et singulis predictis ut  
nostra nostrorumq; Cōmissariorum ac Officialis nostri seu  
Vicarij in spiritualibus mādata et lrās mandatorum dū vo-  
bis offeruntur reuerenter recipere et exequi curetis. Alioquin  
cōtrarium facientem ac quēcumq; in hīs rebellem suspendi-  
mus ab ingressu ecclesie p̄ nunc ut ex tūc et ecōtra p̄ presentes

Inhibentes insuper Omnibus et singulis Prelatis et archi-  
diaconis predictis ne quisquā eorum frivole in nostre aucto-  
ritatis p̄iudicium subditis suis inhibeat ne nostras cōmissa-  
riorum nostrorum aut Officialis nostri lrās recipiant et exe-  
quantur mandatorum. Contrarium facientes excoꝛmunicentur

Item Volumus et mandamus ut omnes et singuli presbite-  
ri et clerici i nostra ciuitate et diocesi Beneficia officia Cap-



pellanias Officiaturas/seu alias domicilium habentes i eccle-  
sijs parochialibus/in diuinis officijs celebrandis, aut perage-  
dis diuinum ordinem/et breuiarium ritum/et morem/nostre  
ecclesie Magdeburgen/studeant obseruare/Contrarium faci-  
entes/per nos aut officialem nostrum/debite puniantur.

Item Ex quo ecclesia nostra/caput est et mgra omniu ecclesi-  
arum nostre ciuitatis et diocesis/inmo et tocius puincie/et  
omnes excellit i dignitate/ita etiam dignum esse arbitramur  
ut prefulgeat in structura et ornamentis Mandamus igitur/ut  
subditos uestros/i ecclesijs uestris/et alibi ubi uidebitur oportu-  
num/sepius publice et solempniter moneatis/ut vagas resti-  
tutiones/seu pecunias/et alias res/pro comutatione uotozum  
debitas nullis questoribus religiosis aut secularibus dare aut  
tradere presumant/sed ea tantummodo magistro fabricie ecclie  
nostre predictae/fideliter dare et presentare teneantur. Alioquin  
ad soluendum easdem res/ac ad restituendum demuo ipsos uo-  
lumus esse astrictos et obligatos/per presentes.

Item Quia ubi <sup>magis</sup> periculum iminet/cancius est agendum/  
casus maiores videlicet heresis/Simonie, lese maiestatis di-  
uine et humane/testamentarias homicidij/facrilegij/emuitatis  
ecclesiarum, incendiarioru fractionis uotozum, Iniectionis ma-  
num violentarum in clericos, Apostasie/Scismatis, falsari-  
orum quarumcumq; lrarum et monetarum oppressio nis par-  
uulorum, maleficiorum peccati contra natura, Decimarum usu-  
rarum, oblationum, adulterij, incestus, stupri, libertatis egre-  
giarum personarum, dotis atq; matrimoniales. Ceterasq; a  
iure communi et statutis predecessoru nostroru nobis i foro pe-  
nitencie reseruos: etiam in foro contentioso et Judiciali no-  
bis aut Officiali nostro tantummodo auctoritate ordinaria iu-  
dicandas specialiter reseruamus per pntes Mandantes vniuer-  
sis et singulis archidiaconis et Iudicibus inferioribus qbus



cumq; nostre Civitatis et diocesis ne se deinceps in et de ta-  
libus causis ubi et quando iudicalem requirunt indaginem  
iudicando intromittant quoq; modo Sed easdem dum pro-  
ponantur ad nos aut nostrum officialem iudicandas remitte-  
tant non tamen per hoc quin in notorijs cum visitent ecclesi-  
as et populum sibi subiectum in hijs culpabiles et delinquentes  
sine strepitu et figura iudicij simpliciter et de plano pos-  
sint et valeant corrigere et emendare ubi hoc ad ipsos ex con-  
suetudine laudabili dinoscitur pertinere Contrarium facien-  
tem per tres menses pro nunc ut ex tunc et econtra suspendi-  
mus ab officio iudicandi per presentes Qd si advertere non  
curabit excommunicetur.

Insuper in domino eosdem Archidiaconos attentius mone-  
mus et hortamur ut ecclesias clerum et populum sibi imedia-  
te subiectum sepius visitent et debite p excessibus suis noto-  
rijs corrigent et emendent ac Sinodos suos particulares tem-  
poribus debitis et consuetis personaliter cum legitime impe-  
diti non fuerint alias per suos commissarios idoneos et discre-  
tos celebrent et celebrare nullatenus obmittant si secus egerit  
neglienciam eorum supplebimus iusticia mediante Inhiben-  
tes etiam ex tunc omnibus et singulis Archipresbiteris et cle-  
ricis curatis et non curatis ipsi s immediate subiectis ne ipsis  
aut eorum officialibus aliquas pecunias que Sinodalia co-  
muniter sunt appellata Cum Sinodus sic ut premititur per  
ipsos non celebratur aliq modo dare et psolvere presumat Co-  
trarium facientes ad soluendum duplum eius qd ipsis dederunt  
nobis aut officiali nostro astrictos et obligatos esse volumus  
per presentes.

Item Volumus et mandamus uti et iam in iure comuni re-  
peritur qd si excommunicati a quibuscumq; iudicibus delegatis aut  
ordinarijs in articulo mortis confessi et contriti a presbitero suo



M.V.8.  
de p[ro]prietate  
hereditaria  
ta[m]p[er]

In forma ecclesie fuerint absoluti et decesserint antequam de  
causis pro quibus excommunicati fuerint satisfacciant .corp[or]a  
ra ipsorum nichilominus traditis ecclesiastice sepulture. he-  
redes tamē ipsorum aut testamentarij si eorum hereditatem  
volunt adire aut testamentum acceptare Si inventarium nō  
fecerint censuris ecclesiasticis compellantur satisfacere. et stare  
iuri pro eisdem alias inventario facto nisi inquantū ad eos  
peruenit ad soluendum p[er] eisdem defunctis cogi debent atq[ue]  
compelli.

RM 8

Item Inhibemus p[re]dictis iudicibus ne quempiam debitum  
creditori suo recognoscentem in iudicio ac p[ro]pter inopiam su-  
am persolvere et satisfacere non valentem idq[ue] allegantem et  
bonis cedere volentem excommunicare presumant Quūmmo-  
si antea excommunicatus fuerat ipsum etiam invito actore re-  
cepta tamen ab eo iuratoria cautione quod cum ad pingui-  
orem fortunam pervenerit habita tamē ratione ne egeat ve-  
lit satisfacere sine difficultate relaxabunt et absoluēt et alias  
put et quēadmodum in iure cōmuni reperitur scriptū in hys  
agant atq[ue] procedant.

Insuper eisdem iudicibus districtius inhibemus ne in causis  
civilibus et mere pecuniarijs ponant interdictum ecclesiasti-  
cum aut divinorū cessum aut contra participantes quovismō  
pcedant etiā in contumaciā p[re]cipue villanorū et rusticorū qui  
iuris ignari faciliter cōtumaciā cum non sint soluedo p[ro]pter  
paupertatem latitantes incurrant Si cōtrariū fiat p[ro] nūc ut  
ex tunc illud interdictum atq[ue] ipsorū p[re]cessum cessionis divi-  
norum et cōtra participantes fulminatū decernim[us] esse irri-  
tum et inanem nulliusq[ue] roboris vel momenti Volumus ta-  
men per hoc excommunicatos qui per annum cōtinuū steterint  
in excommunicatione quos inopia nō excusat i aliq[ui] privilegia-



ri per presentes :

Item Eisdem iudicibus districtius inhibemus ne pro absolu-  
cionibus ab excommunicatione etiam pro cōtumacia pmulga-  
ta pecunias exigere et recipere presumant nisi duos denarios  
Magdeburgen. quos scriptori pro labore suo deputent. et nō  
amplius fore recipiendum. Cum cōtumaces in soluendis ex-  
pensis iudicialibus litteris et vialibus satis puniri pro cōtu-  
macia videantur Sint etiā discreti predicti iudices vt iter cō-  
tumaciam veram fictam psumptam debite discernant ante-  
quam aliquem in expensis condemnent et vt in taxandis  
vialibus et litteris morem et consuetudinem nostri consisto-  
rij teneant diligenter et obseruent Nec etiam amplius quam  
expenderunt p cursorio aut vialibus recipiant. Alioquin ad  
eius restitutionem teneantur Quia indignum videtur vt hū  
qui litteras ad villas non deferunt pro eisdē litteris ad villas  
deferendas aliquod p̄cium et sallariū in grauamen pauperū  
recipere non vereantur

Insuper eosdem iudices attentius in domino exhortamur vt  
in ciuilibus causis presertim inter laicos non primo leuiter  
ad excommunicationem pcedant. sed amissione in possessionē  
bonorū ipsius rei et primū ex primo decreto Deinde exsecun-  
do decreto secundum iuris formam et ordinationē incipiāt  
et demum cum non habeant ultra quid faciant. ad excom-  
municationem que maior dicitur pena in ecclesia dei recurrant.  
Alioquin subditis nostris in hīs iniuriari non formidantes  
debita aniaduersione puniemus.

Item Volumus et mandamus vt Testamentarij fidei Cō-  
missarij seu executores vltimarum voluntatum quarūcumq;  
personarum omni malicia aut desidia cessante infra annum  
a die mortis testatoris aut die defuncti numerandū. vltimas  
voluntates eorundem defunctorum fideliter exequātur Alio-



quin prout iuris est executionem debitam earundem nobis reser-  
uamus aut alias ipsos ad exequendum easdem compellere au-  
rabimus iusticia mediante.

Insuper volumus et mandamus ut idem testamētarij seu ex-  
ecutores ultimatum voluntatum atq; heredes defunctorum  
coram nobis aut officiali nostro infra mensem a die mortis  
ipsius defuncti numeradum instrumentum testamēti ac inue-  
ntarij in debita forma exhibeāt et pducant. Alioquin testamē-  
tum eiusdem defuncti cernimus esse irritum et inane. Et si com-  
mode poterint eciā faciant de inuentis et distributis compur-  
tum et rationem aut vltiores inducias impetrent. Alioquin  
cōtrarium facientes et negligentes in pmissis p nūc ut ex tūc  
suspendim⁹ ab in gressu ecclesie per presentes.

Item Quia nobis inotuit qd nonnulli imperiti ignoti, mi-  
nus idonei ad tabellionatus siue notariatus officij exercen-  
dum in diuersis causis et negocijs in iudicijs et extra se req̄ri  
pauerunt et tamquā notarios publicos se ingerunt et acta cō-  
scribunt ac super contractibus et vltimis volūtatibus et simi-  
libus cōficiunt instrumenta. nō itelligentes qd scribunt plu-  
res fraudes. falsitates et errores in hoc cōmittendo, ut hacte-  
nus pluribus et diuersis personis varia pericula dampna et  
dispendia euenerūt. fama publica hoc attestante. Quare volē-  
tes huiusmodi periculis dampnis et dispendijs. oportunis re-  
medijs obuiare. Insuper omnes et singulos notarios publi-  
cos et se pro talibus gerētes per ciuitatē et diocesim nostram  
vbilibet constitutos requirimus pemptorie et monemus. Ne  
futuris ppetuis temporibus in iudicijs aut extra aliqua iudi-  
cium acta conscribant nec super contractibus. vltimis volū-  
tatibus. acceptiomb⁹ pvisionib⁹ seu similibus et maiouib⁹  
instrumenta conficiant. nisi prius et ante omnia se cum instru-  
mentis creationū suarum coram nobis aut officiali nostro



exhibeant et de idoneitate et legalitate vite ac morum honestate et de et super certis alijs circumstancijs examinati fuerint. et super approbatione et admissione nostras a nostri officialis litteras exhibeant autenticas et sigillatas alias omnia et singula acta ac instrumenta per eos conscripta et confecta decernimus esse irrita et inania nulliusque debere esse roboris et auctoritatis Et temerarij transgressores huiusmodi nri mandati personaliter debent apprehendi capi et incarcerari si de fuga sint suspecti alias excommunicari debent donec et quosque suum reatum agnouerint et pro excessibus suis debite satisfecerint qui etiam examinati si falsarij reperti fuerint in schalceur atque in perpetuos carceres condempnentur iusticia mediante.

Item Volumus et mandamus ne futuris perpetuis temporibus presbiteros ignote nationis et incognitos seu clericos peregrinos et maxime religiosos ordinum quorumcumque ad celebrandum seu aliud diuinum officium exercendum in ecclesijs nostre ciuitatis et diocesis admittatis quouis modo nec tales in cappellanos aut conducticios recipere presumatis et iam receptos amoueatis nisi ipsi coram nobis aut nostro officiali se exhibuerint et litteras suorum ordinarioꝝ commendaticias eorum sigillis autenticis roboratas producant. et de idoneitate et alijs circumstancijs fuerint examinati. et de super litteras nostras aut nostri officialis vobis exhibuerint testimoniales.

Item Quia experientia didicimus Quod corporalia in quibus venerandum eucaristie sacramentum tractatur frequenter sordida et imunda reperiuntur Et cum sacrorum canonum auctoritas iubeat omnia ornamenta altaris munde custodire Omnibus vobis et singulis predictis in virtute sancte obediencie mandamus Quatenus corporalia que munda non sunt mundari curetis Alioquin negliens in premissis per nos aut officialem nostrum debita animaduersione punietur

h i



Item Similimodo volumus et mandamus propter euitāda multa pericula que inde noscuntur posse euenire vt sacerdotes dum missam publice celebrent in ecclesijs quibuscumque nostre ciuitatis et diocesis in quantum altaria non sunt circumdata muris aut tabulis a lateribus altarium vela suspendere aut appendere non pretermittant et qui talia vela hucusque non habuerunt suis pecunijs si habundent Alioquin fidelium elemosinis ea sibi quantotius poterint fieri procurent.

Item Volumus et mandamus vt omnes et singuli Plebani et diuinorum rectores per ciuitatem et diocesim nostrā Magdeborgen vbilibet constituti tribus diebus dominicis aut festiuis ad minus quilibet anno publice et expressa voce suis vtriusque seruis parochianis Pater noster Ave maria et Credo in deum de Ambone publicent et exponant, aut quiuis eorum exponat lingua in vulgari

Item Volumus et mandamus vt nullus prelatus Curatus ac Plebanus nostre ciuitatis et diocesis a visitatione Synodi debeat supportari nisi cum eo propter legitima impedimēta per nos aut nostrorum officialem fuerit dispensatum

Item Monemus omnes Prelatos et ecclesiarū Rectores nostre ciuitatis et diocesis qui tenentur visitare sinodum et modo non venerunt vt infra mensem nobis aut officiali nostro de huiusmodi contumacia et contemptu satisfaciāt aut legitimas causas allegent Alioquin ipsos et eorum quemlibet p nunc vt ex tunc suspendimus ab ingressu ecclesie per presentes.

Item Volumus et mandamus vt Omnes et singuli Prelati ecclesiarum Decani Archidiaconi et archi presbiteri copias prefatorum statutorum et mandatorum sinodaliū recipiāt et habeant eaque suis subditis in Capitulis suis generalibus et



Sinodis particularibus semper publice legant et exponant Alioquin excommunicentur.

Item Ultimo monemus et requirimus omnes et singulos prelatos prepositos Decanos Archidiaconos ac archipresbiteros predictos ut ad huc infra duorum mensium spacium se et subditos suos in quibus sint culpabiles et corrigendi debite reforment corrigent et emendent Alioquin post effluxum eorundem duorum mensium negligenciam ipsorum supplere intendimus Ac ipsos de negligencia et subditos ipsorum pro culpis et excessibus suis emendabimus et corrigemus uti efficacius poterimus et debemus iusticia mediante.

Sequitur statutum Alberti archiepiscopi contra concubinos editum in consilio provinciali de quo supra fit mentio.

Albertus Archiepiscopus ex consilio Magistri attendentes quod scriptum est et dictum precipue sacerdotibus et clericis universis in sacris constitutis Sancti estote quia ego sanctus sum. precipimus huius sacri approbatione consilij ut sacerdotes universi et clerici in sacris ordinibus constituti et alij simplices dei servicio mancipati studeant caste vivere et continenter quatenus in conspectu omnipotentis dei puro corde valeant et mundo corpore ministrare Si quis autem clericorum deceptor visus fuerit incontencie vicio laborare publice concubinam secum detinendo vel alias a se positam in domo nutriendo aliena fama publica hoc testate ita quod vulgariter dicitur talis est concubina ipsius post ammonitionem canonicam ei per suum prelatum immediatum factam verbo vel in scriptis illam prorsus de domo sua non expulerit vel a se posite victum vel amictum non subtrahat amplius ipsius consortium penitus evitando officio et beneficio suo privetur Si vero nec tunc fetorem sue libidinis curaverit evitare Quia crescente contumacia crescere debet et pena anathematis gladio feriatur Qui vero voluptatibus inhiantes concubinas usque ad hec tempora tenuerint publice ne delictum preteritum transeat impunitum eos sub tali pena durissimus religandos ut si canonici fuerint vel beneficiati in ecclesia



Cathedrali aut collegiata Quadragesima diebus in claustris  
suis in quadragesimali cibo ieiunēt Si autem hec agere con-  
tempserint prepositis et decanis et capitulis suarū ecclesiarū  
sub anathemate phibemus ne prebendarum fructus eis mi-  
nistrent vel ad chorū vel ad consorcium capituli eos admit-  
tant nisi digna penitēcia de qua premittitur om̄ dispensaci-  
one seclusa incepta et pacta plenarie Qui vero sic amotos re-  
sumpserint, decernimus eos beneficijs priuandos Statuētes  
ut illi ad quorū collacionem eorum beneficia ptinēt ipsis pri-  
uatis ea psonis idoneis assignēt infra tempus in latranensi  
consilio conphensum Alioquin proximi superiores ipsorum  
ex tunc ea studeāt assignare Si vero Decani vel alij eorū supe-  
riores huiusmodi excessum scientes dissimulare psumpserint ip-  
sos volumus et pnuctiamus a perceptione fructuum suorū  
beneficiorum nō solum suspensos esse quos obtinēt in priu-  
cia nostra sed priuatos fabrice ecclesie vbi plati sūt fore appli-  
candos.

Tenor vero Decreti Cōsiliū Basiliensis cōtra cōcubina-  
rios editi de quo facta est mentio, sequitur et est talis.  
Sacra sancta generalis Synodus Basiliensis ad perpetuam  
rei memoriam etcetera. Quicumq; clericus cuiuscūq; conditi-  
onis religionis dignitatis etiam si pontificalis vel alterius  
p̄minentie existat qui post cōstitutionis huius noticiā quam  
habere p̄sumatur per duos menses post publicationem eius-  
dem in ecclesijs cathedralibus, quam ipsi diocesani om̄ino fa-  
cere teneantur postquā eadem constitucio ad eorum noticiā  
preuenerit fuerit publicus concubinarium a preceptione fruc-  
tuum om̄ium beneficiorum suorū trium mensium spatio sit  
ipso facto suspensus quos suus superior in fabricam vel ali-  
am euidentem ecclesiarum utilitatem ex quibus huiusmodi  
fructus percipiuntur conuertat Necnon et huiusmodi pub-  
licum concubinarium ut primum talem esse innotuerit mox



suus superior monere teneatur ut infra brevissimū terminū  
cōcubinam dimittat, quam si non dimiserit vel dimissā aut  
aliam publice resumpserit, iubet hec sancta Synodus ut ipm̄  
omnibus beneficijs priuet. Et nichilominus hī publici concu-  
binarij vsq; quo cum eis per suos superiores post ipsarū con-  
cubinarum dimissionem manifestamq; vite emendationem  
fuerit dispensatum ad suspensionem quorūcūq; honorum  
dignitatum beneficiorum vel officiorum sint habiles. Qui  
si post dispensationem reciditū vomitu ad huiusmodi pub-  
licum concubinatum redierint sine spe alicuius dispensationis  
ad predicta prorsus inhabiles existant, q; si hī ad quos talū  
correctio pertinet eos ut p̄mittitur punire neglexerint eorum  
superiores tam in ipsos de neglectu quā in ipsos pro concubi-  
nato modis omnibus digna punitione aniaduertant. In cō-  
silijs eciam puincialibus et Sinodalibus aduersus tales pu-  
nire negligentes vel de hoc crimine infamatos etiā per suspen-  
sationē a collatione beneficiorū vel alia condigna pena seue-  
riter pcedatur. Et si hī quorū destituciones ad sūmum pon-  
tificem spectant p̄ cōsilia puincialia aut suos superiores pp-  
ter publicū cōcubinatum reperiātur priuatione digni statim  
cū p̄cessu inq̄sitionis ipsi sūmo pontifici deferantur. Eadem  
diligētia et inq̄sicio in q̄buscūq; capitulis generalib; et p-  
uincialibus quo ad suos seruetur penis alijs cōtra predictos  
alios nō publicos cōcubinarios statutis in suo robore p̄man-  
suris. Publici autē intelgendi sunt, non solū hī quorū cōcubi-  
natus per sententiam aut confessionem in iure factam seu p-  
rei evidenciam que nulla possit tergiversacione celari noto-  
rius est, sed qui mulierem de incontinenca suspectam et ifa-  
matam tenet et per sūmū superiorem admonit; ipsam cum  
effectu nō dimittit. Quia vero in quibusdā regionibus non-  
nulli iuris dictionem ecclesiasticā habentes pecuniarios ques-  
tus a concubinarijs recipere non erubescunt paciēdo eos in  
tali feditate sordescere sub pena maledictionis eterne precipit

h iij



ne deinceps sub pacto et compositione aut spe alicuius ques-  
tus. talia quouismodo tollerent aut dissimilent Alioquin vl-  
tra premissam negliencie penam duplū eius quod propterea  
acceperint restituere ad pios vsus omnino teneantur et con-  
pellantur Ipsas autē concubinas seu mulieres suspectas pla-  
timodis omnibus curent a suis subditis eadē per brachij secu-  
laris auxilium si opus fuerit penitus arcere Qui etiam ex tali  
concupinatu procreatos filios apud patres suos cohabitare  
non permittant Jubes insuper hec sancta Sinodus vt eadē  
in predictis sinodis et capitulis hec constitucio publicetur et  
quilibet suos subditos ad ipsarum concubinarum dimissio-  
nem moneat diligenter Iniungit preterea omnibus seculari-  
bus viris eadē si prefulgeant regali dignitate ne vllum qle-  
cumq; inferant impedimentum quocumq; quesito colore pre-  
latis qui ratione officij sui aduersus suos subditos pro huius-  
modi concupinatu procedunt Et cum omne fornicationis cri-  
men lege diuina sit prohibitum et sub peccati mortalis pena  
necessario euitandum Monet omnes laicos tam vxoratos  
quam solutos vt similiter a concupinatu abstineant nimis enī  
reprehensibilis est qui vxorem habet et ad mulierem alienam  
accedat Qui vero solutus est et cōtinere nō velit iuxta apos-  
toli consilium vxorem ducat Pro huius autem diuini obser-  
uatione precepti huius ad quos hoc pertinet tam salutarib; mo-  
nitis quam alijs canonicis remedijs omni studio laborent.

Rursum volumus et mādamus vt in diuinis laudibus per-  
agendis in nostra ceterisq; collegiatis et conuentualibus eccle-  
sijs et monasterijs nostre ciuitatis et diocesis decretum Con-  
siliij Basiliensis quod incipit Si quis principem seculi roga-  
turus quantum vnumquemq; concernit diligenter obserue-  
tur cuius tenor sequitur de verbo ad verbum et est talis.

Si quis principē seculi rogaturus habitu honesto gestu de-



enti. prolatione non precipitā sed distincta. Attēta quoq; mē  
te se ipsum ac verba studeat componere. quanto diligentius i  
sacro loco omnipotentem oraturus deū hec omnia facere cu-  
rabit Statuit igitur hec sancta synodus ut in cunctis cathe-  
dralibus ac collegiatis ecclesijs horis debitis signis congrua  
pulsatione premissis laudes diuine p singulas horas nō cur-  
sim ac festinanter sed a sciatim ac tractim et cum pausa decē-  
ti presertim in medio cuiuslibet versiculi psalmorū debitā fa-  
ciendo inter solemne ac feriale officium differentiam reuerē-  
ter ab omnibus persoluantur horas canonicas dicturi cū tu-  
nica tallari ac super pellicijs mundis ultra medias tibias lō  
gis vel cappis iuxta temporum ac regionum diversitatē eccle-  
sias ingrediantur. nō cappucia sed almucia vel birreta tenen-  
tes in capite Qui cum in choro fuerint gravitatem seruēt quā  
et locus et officium exigunt Non insimul aut cum alijs con-  
fabulantes seu colloquentes aut litteras seu scripturas alias  
legentes Et cum psallendi gracia ibidem conueniunt muta et  
clausa labia tenere non debent sed omnes qui presertim ma-  
iori funguntur honore in psalmis hymnis et canticis deo ala-  
crius modulentur. Cum dicitur Gloria patri et filio et spiri-  
tui sancto Omnes consurgant Cum nominatur illud glorio-  
sum nomen Ihesus in quo ōne genu flectitur celestiu terref-  
trium et infernorum omnes caput inclinant Nemo ibidem  
dum hore in communi cantentur publice legat vel dicat pu-  
natum officium Nam non solum obsequium quo obnoxius  
est choro subtrahit sed alios psallentes perturbat super hys  
debite obseruandis alijsq; ad diuini officij prosecutionem ac  
chori disciplinam spectantibus decanus vel cui onus incūbit  
diligenter invigilet hinc inde ne quid inordinate fiat circum-  
spiciens horum autem transgressores illius hore in qua circa  
predicta excesserint vel alia maiori prout transgressionis gra-  
uitas exigit plectentur pena.

*Almucia dicitur*



Anno a natiuitate domini Millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo die lune decima nona mensis Octobris prefato Reuerendissimo in cristo patre et domino domino Johanne sancte Magdeburgensis ecclesie Archiepiscopo dignissimo in medio sue ecclesie Magdeburgen[si] solempniter ut moris est synodum Episcopalem celebrante ac confidentibus ab vno latere Reuerendis patribus Hermanno in Berga p[ro]pe et extra muros Magd[eburgi] et Ditmaro beate Marie et sancti Cipriani in Nonkenigenborch ordinis sancti Benedicti Abbatibus et Luerhardo ecclesie beate Marie virginis in Magdeburg ordinis Premonstratensis preposito insulatis necnon monasteriorum nouioferis et sancti Mauricii prope et in halles Canonico regularium prepositis et ceteris Ex alio latere Venerabilibus dominis Tilone de Trote Preposito Johanni de Redekin Decano ecclesie Magdeburgensis necnon Andrea Hasselman sancti Sebastiani et Henningo de Schullenborch sancti Nicolai nouioferi Magdeburgen[si] ecclesiarum prepositis earundemq[ue] ac etiam sanctorum Petri et Pauli noue ciuitatis eiusdem Magd[eburgi] Decanis et Scholasticis Ceterisq[ue] earundem et aliarum ecclesiarum et ceterorum monasteriorum prepositis Canonicis fratribus vicarijs Parochialium ecclesiarum rectoribus plebanis et presbiteris clericisq[ue] Ciuitatis et Diocesis predictarum lecta et publicata fuerunt hec mandata ac statuta supra scripta per Venerabilem virum dominum Andream Becker decretorum doctorem ac eiusdem Reuerendissimi domini archiepiscopi Officium generalem et in spiritualibus vicarium ex latere eius sinistro astantem presentibus venerabilibus et honorabilibus viris dominis Bernhardo Becker sue paternitatis Cancellario et Conrado Frack consistorij sue curie Archiepiscopalis tunc notario et scriba Que etiam in loco capitulari coram prefato domino Tilone Preposito Borchardo de Steimbekke seniori Balthasaro de Schiwen Matheo de Plote Henrico Hiltermann vtriusq[ue] iuris doctori



Johanne de nuenstad Andrea hasselma Wenero de Neme  
te Hunero de plote Nicolao de Ammendorp et Mauricio  
de schonow canonici eiusde ecclesie Magdeburgen capittula-  
riter ppterea congregatis ac capittulu tunc facientibus et re-  
presentantibus die veneris decima sexta eiusdem mensis prox-  
ime precedente p̄fatum diem lune decimanonam mensis octo-  
bris ex speciali cōmissione sue reuerendissime paternitatis per  
eundem dominum Officialem fuerant lecta recitata ac ab eis-  
dem unanimiter approbata et accepta necnon et ex sup̄habū-  
danti paucis additis iterum et de nouo coram sua paternita-  
te p̄ntibus p̄faris venerabilibus viris dominis Balthasaro  
de schiweu Henrico hilterman et Andrea hasselman ex pte  
capittuli ad hoc missis et deputatis uti dixerunt hora prima  
rum eadem die lune xix mēsis octobris in stuba superiori au-  
le Archiepiscopalis lecta et recitata fuerunt et approbata atqz  
acceptata in omnipotentis dei ac sanctorū martirū Mauricij  
sociorūqz eius laudem et honorem statusqz nostri emēdacio-  
nem ac correctionem viciorū Que etiā post earūdem publica-  
cionem sic vt premittitur facta nulla sunt aut fuerunt de qua  
saltem legittime constet puocacione seu appellacione suspen-  
sa idcirco deinceps om̄s ligant et nemo contra eadem per ap-  
pellacionem se poterit quolibet defendere seu tueri.

Reuerendissimus in cristo pater et dñs dominus Ernestus  
Magdeburgen et Halberstaden ecclesiarū Administrator dux  
Saxonie Lautgrauus turingie Marchioqz missene Necessi-  
tati ac utilitati ecclē Magdeburgen maturius cōsulere ac uti-  
lius puidere put et pastoralis sibi cōmissa se cognoscit obliga-  
tum cura Capittuli sui accedente consensu ordinat ac statu-  
it vt negocium sancti Mauricij qd hucusqz sūptuose ac dis-  
pendiose per nūctios cū equis et familiaribus in modicū ecclē  
ac fabrice ipsius utilitatem existat obseruatū per amplius per  
plebanos ac diuinorū Rectores om̄ium et singulariū prochia-



lium ecclesiarum per et infra diocesim et civitatem suam mag  
deburgensem/vbilibet constitutarum in dominica Letare sol  
lemniter cum predicatione indulgenciarum publicatione.  
Ad fraternitatem susceptione et inscriptione ac fidelium  
oblationum collectione ac alijs per nuncios ipsos serva  
ri solitis et cōsuetis. servari et teneri debeat Et vt plebani tri  
bus diebus dominicis p̄fatam dominicam Letare immediate  
p̄cedentibus populis ac prochijs sibi subditis hec fideliter  
insinuare ac publicare debeant et teneantur sub pena obediē  
cie sint astricti: habereq; debent suos parochianos confessos  
et contritos qui in fraternitate sancti Mauritiij iam sunt ac  
eciā de novo assumūtur et illos qui se cū oblationibus ac ele  
mosinarum elargitionibus indulgenciarum p̄cipies fecerit  
semel duntaxat plenariam etiam in casibus reseruatīs ab  
soluendi potestatem Plebanis vero p̄ se ipsis vt a confessore  
idoneo absolui possunt etiam in casibus eidem domino nos  
tro gracioso specialiter reseruatīs vsq; ad dominicam Quasi  
modogeniti plena graciose elargitur facultas Alijs eciā idul  
tis ac p̄uilegijs in fraternitate p̄missa existentibus videlicet  
de sepultura contractu matrimonij ac aliorum sacramentorū  
p̄cipatione prout in litteris desuper confectis et concessis la  
cius continetur semp̄ saluis manētibus Et vt plebani ipsi q̄  
ter in anno memoriam defunctorum pro defunctis in frater  
nitate peragant. Plebani vero qui huiusmodi negocium in  
dominica Letare sicuti supra dicitur peragunt oblationes fi  
delium ac pecuniam pro inscriptione fraternitatis diligenter  
colligent easq; cum vitricis aut vno vitrico et Schulteto nu  
merēt et i sacculo cōsignēt cū ipositione cedule nomē civitatis  
opidi vel ville ac noiā plebani et vitricorū ac sūmā collectam  
in se cōtinentis Et pecuniā sic cōsignatā suo archipresbitero i  
fra tempus a p̄fata dominica Letare vsq; ad dominicam  
Quasimōti inclusiue fideliter p̄ntare debent et teneantur Ar  
chipresbiteri vero oēs sūmas a plebanis suo districtu existē



12

tibus sic collectas a p̄fata domica Quasimodogeniti vsq; ad Si-  
nodum estiualem extunc prime futuram Que est feria secun-  
da trinitatis Magistrifabrice ecclesie Magdeburgen̄ diligen-  
ter ac fideliter p̄sentare teneantur et obligati existant Hortat-  
ur insuper supradictus dominus noster graciosus Magde-  
burgen̄ ones et singulos plebanos i dno immo cuilibet eoru  
districte sub obediencie pena mandat quateuus i suis sermo-  
nibus populum veluti in antiqua lege Moyses et Aaron ad  
tabernaculum domino construendū quorum salubri amoni-  
tione populus plus obtulit quā necesse fuit etiam incitant ad  
tam splendidam et preciosam sancte et nobilissime spōse sue  
ecclesie Magdeburgen̄ fabricam et ad p̄fecti operis complemē-  
tum p̄ducendam et in esse conseruandam uti carissimi et obe-  
diencie filij matri sue debita veneratione assurgāt. Manusq;  
adiutrices et largas ponigant Ac se sanctorum patronorum  
orationibus ac indulgentiarum maximarum elargicionibus  
participes faciant quatenus cum sancta matre nostra ecclesia  
militante in celesti iherusalem eternaliter in societatem sancti  
Mauricij et sociorum eius recipi et cum eis eternaliter letari  
et gaudere valeant amen



Faint, illegible text in a medieval script, possibly Gothic or similar, arranged in approximately 15 horizontal lines. The text is mirrored across the page, suggesting bleed-through from the reverse side. The script is dense and lacks modern punctuation, with some larger initial letters. The overall appearance is that of a historical manuscript page.





Xa 2562 Ink.


B. 8/9

M.C.










15

# Statuta sinodalia

metropolitane ecclesie Magde-  
borgen



*Kauftrage für  
Hain 334*